



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

94 Tuus sum ego, saluum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisiui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

ritu viuificemur, & vegetemur, quia in
 ipsis placitis tuis viuimus, & conforta-
 mur.

94 Tuus sum ego, saluum me fac, quo-
 niam iustificationes tuas exqui-
 siui.

Non immerito peto à te saluari, quia
 tuus iam sum. Cum meus esse volui,
 male me perdidit: nunc tuus sum, saluum
 me fac. Tuus creatione, quia me plasmasti:
 & dignum est, vt opifex opus suum custo-
 diat. Tuus emptione, qui tam caro pretio,
 sanguine videlicet diuino emisti me: & iu-
 sum est, vt emptor rem suam seruet. Tuus
 conseruatione, & assidua reparatione: &
 congruum est, vt saluum facias, quem assi-
 dua quadam quasi productione conseruas,
 inspirans in faciem meam spiraculum vi-
 ta. Tuus sum proposito, & electione, quia
 me tibi totum tradidi: & consentaneum
 est, vt, quod suscepisti, salues: quod apud te
 totum deposui, custodias. Ceterum facilis
 vox, & communis videtur, Tuus sum: sed
 paucorum est. Satis rarus est, qui tibi dice-
 re possit, Tuus sum. Ille enim dicit, qui ad-
 haeret tibi totis sensibus, qui aliud cogita-
 re non nouit. Fac ergo Domine, vt vere
 tuus sim, libera me ab alijs Dominis, libe-
 ra à me ipso, vt dicere valeam, Tuus sum.
 Veniunt enim omnia vitia, & dicunt,
 meus

Dei sum
 multis
 nomini-
 bus.

Tuus sū,
 vox pau-
 corum.

Ambros.

meus es. Quem tanti comparant, quam vile mancipium est? Tu, qui solus tam multis nominibus, me ipsum vendicas tibi, tu dicito seruo tuo; Meus es tu. Quippe non negas tuum esse eum, qui ipse se non neget; aut certè, si pro te, seipsum sibi abneget. Et qui audit à te, Meus es, audet, & vicissim tibi dicit. Meus es. Quippe portio mea, & hic in exilio es, & in terra viuentium. Quam felix tecum appellatio, & responsio? Dicat tibi anima mea, secura dicat, Tua sum: dicat, & audiat ampliora, Meus es tu. Non est ista temeritas, affectus est desiderij, & dulcedo spei. Ego, inquit, protector tuus, & merces tua. Verè protector fortis, & merces magna nimis.

Sed eorundem Meus es. Psal. 141. S. Aug. in psalm 32.

Gen. 15.

95 Me expectauerunt peccatores, vt perderent me: testimonia tua intellexi.

Expectat hostes multipl. eiter. Thren. 2.

EXPECTAVERUNT primò desiderantes perditionem, vt quidam inimici dixerunt. Ista est dies, quã expectabamus, inuenimus, vidimus. Quid enim latius inimicis accidere potest, quam vt ruinam meam vidèant?

Secundò. Expectauerunt, vel præstolati sunt me, patientissimè in insidijs perdurantes, vt caperent, & perderent me: parantes mihi laqueos: qui cogitauerunt

Psal. 139.

sup.